



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

De extremi Iudicij grauitate: à quo etiam nulla est prouocatio. xi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

non proferuntur? Nam si Deus est, sicuti reuera est, eum iustum esse nemo non fatebitur. Atqui si iustus est, & his & illis rependet pro meritis, hic verò nullus eorum recepit, neque ille improbitatis poenam, neque hic virtutis premia: perspicuum est restare tempus aliquod, in quo congruens premium horum uterque feret.

De extremi Iudicij grauitate: à quo etiam nulla est prouocatio.

CAPVT
XI.
Sap. 5.

EX his ergo constat, certò futurum esse Iudicium: in quo suam iustitiam Deus declarabit, verisque iustis & iniustis in iudicium adductis. Tunc, ait Scriptura, stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustianerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione inspirata salutis, dicentes intra se, poenitentiam agentes, & pro angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum astimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecco quo modo computati sunt inter filios Dei?

Chrysoft.
Hom. 22. ad
pop. Antioch.

Idem Hom.
48. ad eun-
dem pop.

In hoc Iudicio ante omnium hominum oculos peccata nostra ponentur: cordium enim nostrorum libri aperientur, & in medio manifestè legentur, etiam occulta nocturna atque diurna. Si cuius ex nobis factum occultum in medium hodie coram sola produceretur ecclesia, quomodo non perire, & sibi terram debiscere precaretur, potius quam tot malitia testes habere? Quid tunc ergo patiemur, cum in medium coram mundo cuncta promentur, in theatro tam claro & illustri, & nobis notis & incognitis omnia spectantibus? Sedebit autem pro tribunali non Imperator terrenus quispiam aut Rex, sed

Apo. 17. 19. Filius Dei, Rex regum, & Dominus dominantium: cui

Pater

Pater omne iudicium dedit. Nec iudicabit iam in habitu serui, sed in gloria Patris, in sede Maiestatis sua: & omnes angeli cum eo; cuius iudicium nemo effugere poterit: qui nec gratia praeuenietur, nec misericordia flectetur, nec pecunia corrumpetur, nec satisfactione mitigabitur: sed reddet unicuique iuxta opera sua. Nihil opus erit testibus: testimonium reddente conscientia, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum. Sic enim scribit Apostolus Paulus Rom. 1. 1.

Huius Iudicij grauitatē nulla lingua explicare potest: ut non temerē Felix Casarea praeses, Apostolo Paulo de Iudicio futuro disputante, contremuerit: referente S. Luca in Actis Apostolorum. Quam exhorrescunt malefici, cum ad tribunal sonante campana vocantur: quam tremunt, lictore comparente! Et coram pretore in confesso iudicum stantibus, spectante populo, vox faucibus haeret. Audientes verò iudicis vocem ad supplicium eos condemnantis, prope exanimantur. Quid autem sunt hominum iudicia, praedistructo illo Dei Iudicio? Ab illis nonnunquam pronocare licet: ab hoc autem nulla est pronocatio. Saepe etiam fit, ut sapientis aduocati patrocinio ipse condemnandus euadat, aut potentioris condemnatus iam eripiatur subsidio: at horum in Dei Iudicio nihil est. Ideo S. Job dicit: Verè scio, quòd non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei unū promille. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit illi & pacem habuit? Si fortitudo quaritur, robustissimus est: si aequitas iudicij, nemo audet pro me testimoniū dicere. Si iustificare me voluerò, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit.

Ioan. 1.
Matt. 16. 2.
August. de
Symb. ad
Catech. li. 3.
cap. 8.
Psal. 61.

Act. 24.

Job 19.